DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... AB...

Antonius : de Januarius, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

CLEMENTI XII.

PONTÍFICI MAXIMO

ANTONIUS DE JANUARIO
FELICITATEM.

CUM *Eccleſiæ laudes*, BEATISSIME PATER, *tuas eſſe nemo ignoret; neque profectò major addi Eccleſiæ laus poſſit, quam quæ illi venit ab ſanctè,*

& integrè cuſtodienda TRINITATIS *Fide, atque amentia Hæreticorum exterminanda, ſi hanc Tibi Orationem ſiſto, cui certè illud fuit propoſitum, ut demonſtraret, minime audax videor exiſtimandus. Quæcumque enim ab Eccleſia Catholica ob Fidei tutelam geſta ſunt, aut geruntur; ita continentur omnia auctoritate, & auſpiciis Summorum Pontificum, ut omne, quod ex ea re decus Eccleſiæ contigit, ſupremæ huic Apoſtolicæ Sedi acceptum referamus. Ea igitur ratione collatæ Tibi divinitus dignitati gratulari æquum videbatur, quæ, cum ſanctiſſimis conſiliis tuis exornata clariorem in dies lucem*

effun-

Digitized by Google

effundat, id deinde efficit, ut, ſi ſapientes tantum, ac tam excellens Eccleſiæ bonum ſuo jure admirantur, & celebrant, neque humiles poſſint de tuis laudibus conticeſcere. Vident enim omnes Pontificis Opt. Max. Clementiam, Liberalitatem, Magnificentiam tot egregiis exemplis conſtare, & quemadmodum Te a Deo datum, ita maxima Reipublicæ fortuna cœlitus ſervatum gratulantur, & colunt. Tua gaudet in ſinu Roma vel magnificis ædibus aucta, vel majeſtate templorum amplificata, & eximiis ſuis ornamentis benefici Principis indolem, & Sacerdotis ſummi pietatem planè præſefert. Huc

accedunt etiam prima illa Romanorum ſigna, atque monumenta in Capitolio locata, quæ, cum antiquam animorum, & imperii magnitudinem produnt, tum parem illi, vel etiam majorem animum tuum ob ſingularem munificentiam eſſe demonſtrant. Ego vero ex tot tuis ampliſſimis laudibus non illam ultimam reor, quæ tota eſt Humanitatis tuæ, per quam me quoque ad tuos pedes provolutum benignè excipere, & benedictione tua augere non dedignaris.

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

DIVINA plenam majeſtate, quam vidit Daniel viſionem ; BEATISSIME PATER, quam locutus eſt Dominus Patribus in Prophetis, divinum Verbum inſtituendæ Eccleſiæ apertiùs explicat, & ſingulari demum benignitate declarat. Sedit Antiquus dierum, ex cujus ore Fluvius igneus egrediebatur ; *Daniel 7.* & ecce cum nubibus Cæli quaſi Filius hominis veniebat ; poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur. Hæc vidit Daniel, atque horruit tanta rerum admiratione perculſus : Apoſtoli verò ex Verbo divino collatam

Digitized by Google

latam ſibi hanc poteſtatem vix audierunt, & Spiritu Veritatis edocti per univerſum Or-
Matth. 28. 19. bem miſſi ſunt, ut Gentes ſub Auguſtiſſimo TRINITATIS nomine congregarent. Conſtitutum eſt Divino imperio, & Apoſtolicis curis hoc regnum, in cujus fortiſſima arce verſamur, contra quam portæ inferi præ-
Mat. 16. valere nunquam poterunt TRINITATIS Fide defenſam, & propugnatam. Hujus igitur invictiſſimæ Fidei dignitatem liceat mihi præclariſſima hac die, tanto, ac tam excellenti Myſterio conſecratâ, dicendo percolere, & frequentes, quos de impietate triumphos reportavit, obſequenti animo commemorare.

Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, atque hujus ineffabilis Divinitatis quemadmodum pleni ſunt Cæli, ita credentium fide
4. *Epheſ.* 14. univerſa reſultat Eccleſia. Quare ſi ab omni vento doctrinæ circumlati impiiſſimæ mentis homines auſi ſint hanc Fidem impetere, eo magis inconcuſſa apparebit, & clarior, quo magis ab hujuſmodi Hæreticorum labe ſecreta, conſtans, atque invicta permanſerit,. Et primùm, qui diſtinctionem Perſonarum eſt conatus evertere, jacet cum iniquiſſimo ſuo grege Sabellius: ſiquidem in co-

eodem Scripturarum teſtimonio, quibus ille perniciosſum niti errorem putaverat, Catholicam veritatem incorruptam, atque integram contineri deprehendimus. Ait enim illud Eccleſiæ columen Athanaſius: ſi unum exiſtimas, cum revera duo ſint, quæ tibi ſupereſt cum Eccleſiaſtica doctrina communio? Quomodo voces Domini excipies? Ego & Pater unum ſumus; ſolus non ſum, ſed Ego, & qui miſit me, Pater. Jaceat igitur vel ſuis argumentis hujuſmodi Hæreſis profligata, & ſancta apud nos ſit Lateranenſis Concilii ſententia, qua cautum eſt, ut crederetur in TRINITATIS Perſonis diſtinctio, unica, atque indiviſa Natura.

Athan. Orat. cont. Sabell. Gregales.

Joan. 10.

Ex Concilio Lateran. 4.

Quum verò Naturæ divinæ Unitatem commemoro, quis non meminerit, quantum, & quam immane Orthodoxæ doctrinæ ſanctitati illatum ſit bellum, Ario duce infeſtiſſimo? Quod licet bellum aliquot Eccleſiæ membra diſcerpſerit, & lacerarit, univerſæ tamen tantam gloriam attulit, quanta eſt Fidei ſumma cum dignitate confectum. Teſtes etenim duæ ſunt Alexandrinæ Synodi, quibus ſemel, atque iterum damnatus Arius. Teſtis deinde Nicænus ille Oecumenicus ſapientiſſimorum Patrum Conſeſſus, ubi Divinitas Filii, atque eadem illius cum Patre Sub-

Epiphan. hær. 69.

Socrat. lib. 3.

Ex Concil. Nicæno Oecum. 1.

Subſtantia ita eſt propugnata, ut ab Eccleſia, neque blaſphemis eorum vocibus exauditis, ejicerentur illi, qui contra ſentirent. Teſtes denique aliæ, & pluries coactæ Synodi, per quas ſuccreſcentibus ex infecta radice ramis falx ultima admota eſt, & ſubdolis Arianorum mentibus facultas omnis adempta, ne ementitæ pietatis ſpecie evangelicas ſegetes contaminarent. Quoniam verò non ſolum totius Eccleſiæ; ſed divina planè ſententia judicatus eſt, qui in JESUM non credit, quia non

Joan. 3. credit in nomine Unigeniti Filii Dei; reſtat, ut ad Spiritum Veritatis progrediatur Oratio, & ſuſceptum iter cum egregiis Eccleſiæ triumphis emetiatur.

Hic autem ſatis admirari nequeo, qua ſpe furerent Macedonius, Apollinaris, Eunomius, quos ſacrilego ore Spiritus Sancti dignitatem adortos eſſe comperio. Quid enim tandem inſana, atque impotenti amentia pervicerunt? Niſi, ut duobus Conciliis

Ex Concilio Conſtantinopolit. 1. Oecum. 2. altero Romano, Oecumenico altero Conſtantinopoli convocato, quaſi duobus clypeis protegeretur Eccleſia, & in ipſorummet

Aug. ſerm. 131. de temp. capita anathematis ſententia utrinque prolatâ, a ſolis ortu uſque ad occaſum Divinitas Spiritus Sancti unius Fidei ſplendore diffunderetur. Cui equidem Paraclito, qui a Patre

Digitized by Google